Questo libro composto di libretti
trentanove ha un gran valore.
Il suo più gran pregio consiste nella
lettera di Cristoforo Colombo in lingua
Spagnola.



ILLVSTRISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO
SFORCIAE PALLAVICINO
MARCHIONI;

Totius militiæ terrestris Reipublicæ
Venetæ Gubernatori.

CARMEN.



AVGVSTAE TAVRINORVM,
Apud hæredes Nicolai Beuilaquæ
MDLXXXI.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO SFORCIAE PALLAuicino Marchioni; totius militiæ terrestris Reipublicæ Venetæ Gubernatori.

Armorum, bellique potens, quem Gloria pennis
Auratis ambit, titulos Victoria cuius
Insignes volucris gestat trans marmora ponti,
Quà Phœbus tepidum cursu perlabitur Austrum;
Et quà lætatur campis glacialibus Vrsa;
O ego magne tuas in laudes ora resoluam
Dux; possimque graui munitum carmine pectus
Consilio dignè victuris tradere chartis:
Dum prisca instaurans maiorum exempla tuorum,
Heroúmque decus, validæ tu robore dextræ,
Et duro obtectus ferro, discrimina Martis
Impauidus superas, & longa in sæcula nomen
Illorum ducis, téque ipsum subtrahis Orco.
Id fore, dicebat, venturi conscia fati,
Mens vatum, iam tunc, cum te iuuenilibus annis
Pulchræ laudis amor stimulis ardentibus egit:
Egregia atque atauum cernens longo ordine facta,
Hæc æquanda tibi belli virtute putasti.

Gesserat Hesperia Albertus quæcunque, potentis
Dum Berengarij infestis sese obijcit armis,
Hæc tecum reputans mulcebant gaudia mentem;
Atque animo intentus miraris, promptus vt ipse
Militiam iustis sæuam moderetur habenis:
Robur Achillæum fixus meditaris in illo;
Nestoris & mentem cernis, tum prospera fata,
Quæ capiti Augusto quondam fauisse feruntur.
Hinc exempla capis, Martique accingeris, & te
Cui fuerant tectæ nondum lanugine malæ,
Non sinis egregiè tutum fulgentibus armis
Infami languere situ; tunc pectus in hostem
Fers, pauidúmque ferox læthali vulnere sternis.
Sic proles sequitur claros generosa parentes:
Sic Decij celebres, Curij, magnique Camilli,
Primæ exercebant validi robusta iuuentæ
Pectora, nec quibant segni indulgere quieti.
VASTIVS hic, magni fuerant cui munia belli
Credita, tum meritis dare præmia magna laborum,
Admirans ausus, animosque in bella viriles,
Quantaque sit iuuenis facta ad Mauortia virtus,
Te iubet æratas animosum ducere turmas,
Nec non participem casus sociauit in omnes.
Quid referam cædes, quas tu, facto agmine in hostem,
Accumulas, animam dum vis pro laude pacisci?

Tu no

Tu nouus Alcides funesto Marte fatigas
Gallorum turmas, sternis iunctásque phalanges;
Nec potis es perferre, animis sæuire superbis,
Quamuis horribiles bellúmque, necemque minentur.
Sic canis impatiens sæuas exardet in iras,
Inuaditque acrem violenter dentibus aprum.
Gens Taurina tuos semper testetur honores;
Qui bibit atque Ararim testis, suspiria, quantas
Fuderit & lacrimas genitrix, dum funera deflet
Natorum, & coniunx miseratur fata mariti.
Non tamen hic placuit factis præscribere metam;
Pannoniæ gentes, externa inuisere regna,
Sed placuit Pesti clades, casúsque subire:
Illic materiem nactus documenta dedisti
Virtutis magnæ, quę nunquam deleat ætas.
Accola Danubij vidit, quàm sæpe cruentus,
Aequæuos superans, superans quos cana senectus
Illustres titulis pugnantes fecerat armis,
Inter lunatas acies mucrone corusco
Conturbas hostes, & opima trophæa reportas.
Nec latuit, valeant quid forti in pectore vires,
Consilio ductæ fido, nam protinus ipsi
Pontifici adfertur, timidus conuerterat hostis
Vt tergum, dum tu inuictus fera bella lacessis.
Hic tibi militiæ moderari fortia frena

Detulit, & voluit castrorum te esse magistrum:
CAROLVS *ille etiam, totus cui cesserat orbis;*
Sacraque victrices ornabant tempora lauri,
Certior, vt fortis primo sub flore iuuentæ
Lauderis meritò, toties expertus in armis,
Agglomerat laterique suo, teque eligit inter
Quos sibi conscripsit, tunc cum Germanica pubes
Legibus aduersans superum impia bella mouebat,
Atque gygantæo ritu irritabat olympum.
Iamque acies ibant campo, tumidæque cohortes,
Tum vero manifesta fides, manifestus & ardor,
Promptus vt effuso caram cum sanguine vitam
Liquisses, superum sedes subiturus in altas;
Id ratus, ærumnas terris quascunque feremus
Numine pro Christi parituras sidera nobis:
Ausus nanque hostem validus subsistere contra,
Quamuis terrificus misceret funera castris,
Ex illis clarus numerosa cæde rediisti.
Viuida laudatur virtus, augentur honores,
Et magnus Cæsar meritis sua præmia reddit,
Teque sibi carum cunctis, gratumque fatetur.
Mox veluti stipulam si nacta est flamma, perurens
Vndique grassatur, latéque incendia miscet,
Illius & lumen splendescit purius extra;
Sic tibi cum primum exoptata occasio sese

Obtu

Obtulit, augendi titulos, famamque tuendi,
Longius excurrens iam partum extendere nomen
Cæpisti, claris tangens sublimia gestis.
Turcarum rex, monstrum formidabile terris,
Monstrum, quod pauitant exangues ditis & vmbræ,
Tunc bello ingenti vastabat Dacica regna:
Finibus egressus patrijs, alienaque tentans,
Et forti opplebat turritam milite Lippam:
Dira minans cunctis Scythica feritate timendus,
Seruitium miseris, crudelia quæque mouebat.
Hic FERDINANDI *studium, hic quoque cura parabat*
Opportuna, iubet subito te rebus adesse;
Ille tibi voluit summam tunc credere belli,
Spemque habet, ærumnis finem te imponere posse,
Quippe videt, Dia quàm sis virtute colendus.
Irrita nec vota, aggressus nam protinus hostem,
Insequeris, & in ipsum grandinis instar,
Ingeminas ictus; qui tandem vulnere multo
Confossus, veniam fractis iam viribus orat;
Vel dare terga fugæ tremebundus cogitur, & te
Tunc pauet aduersum, nuper quem spernere visus;
Indignansque procul, trahit alto corde dolorem;
Vngue caput lacerat, contundit pectora palmis,
Pallidus & crebris irrorat fletibus ora.
Testentur campi, Scythico qui sanguine fuso

Undarunt toties, testeturque unda Marosti,
Quæ correpta virum rapidè tot scuta sub imo
Gurgite, tot galeas, cæsa & tot corpora voluit.
Dum vero è bello repetis tentoria lætus,
Et gaudes, animis Thracum cecidisse tyrannum,
Timpana pulsa sonant, lętantum vocibus æther
Impletur crebris, tuba te comitatur euntem,
Et datur in castris ingens tibi plausus ouanti.
Adriacas iam Fama volans peruenerat oras,
Inclita facta canens, virtute insignis, & vsu
Iam referens, hasta quantum perfringere turmas,
Consilio quantum posses; quàm denique belli
Egregiè ornares munus: tunc prouida patrum
Mens iubet acciri, & magnum te heroa salutat.
Vt primum sacro in cœtu tibi data copia fandi,
Incipis, & sapiens res te ipsum prodis ad omnes;
Eloquio is fruitur, faciem miratur & ipsam:
Suspicit inuictum robur, Venetoque Senatu
Tunc tibi cura datur peditesque, equitesque regendi:
Conscia virtutis propriæ mens, sedula lustrat
Quæque decent, & quæ subito reparanda videntur:
Incipis hic turres muro vincire superbas,
Firmius vt condas, infirmas diruis arces,
Aggrederis solers cuncta, & noua mœnia ponis,
Ne vetitum possit miles transcendere vallum,

Atque arma insultans muris hostilia figat.
Ingenij ò quoties acies spectata refulsit,
Dum causas voluis belli, dum prospicis ante
Singula, mox prudens adhibes medicamina rebus;
Atque eadem comptè facundo disseris ore:
Hæc quoque si factis sint exequanda, libenter
Non pauitans mortem cunctis audentior ibis
In bella, inque acies, & primus in arma fereris.
Hæc tria bellantes mire super æthera tollunt,
SFORCIA, Flosque ducum flores quoque dotibus hisce,
Diceris & belli fulmen splendore coruscans:
Cui prompta inuigilant semper tria numina magna:
Nam capiti VICINA sedet, Iouis inclita proles,
PALLAS, & ostendit, quæ sit Prudentia virtus:
Suggerit vsque tibi, quę mox ventura trahantur.
Quæ sunt, quæ fuerint, & causas edocet omnes.
Inque tuis labris residens Atlantide cretus,
Sensa animi proferre dedit, proferre disertè,
Et dedit eloquio timidos accendere ad arma:
Extulit eque tuo Mars belli pectore signum:
Hinc studet aspectu terrorem inferre minaci,
Et rigidis sternit furibundum quemlibet armis:
Singula quid memorem, queis tu præstare videris
Omnibus? haud opis est nostræ, quę mente reuoluis
Dicere, non quæ in te admiramur maxima nanque

Iuppiter ęthereo cum te demisit olympo,
Et terras habitare dedit, tibi mentis inesse
Diuinę multum voluit, quę promptior alis
Omnia percurrens, torperet corpore nunquam.
Non hanc vis morbi imminuet, non huius ad alta
Impediet cursus languor: quin corpore spreto,
Carcere quo veluti obscuro captiua tenetur,
Sępius erupens, sese inde attollit ad auras;
Prospicit euentus rerum, bona consulit, atque
Si quando pauitant patres interrita fertur
Per casus dubios Martis, remque altius omnem
Vestigans curas illis de pectore pellit.
O animis inuicte Heros, quis dicere posset
Quàm meritò celebri ducaris in astra triumpho?
Impauidus perge, & semper maiora secutus
Imperium Venetis maius, maiusque per omne
Tempus redde, hostemque ferox à finibus arce:
Nec patiare graui bello vexarier unquam
Legibus addictos Venetum: Sic aula superbè
Quam struis & sese Romanis molibus ęquat,
Sentiat haud æui rabiem: Sic littora semper
Benaci vireant tibi: Sic quoque Palladis arbor
Viuaces pandat ramos; queis laurus amica
Heroum factis, simul associata, tuosque
Protegat assidue titulos, & fortia facta,

Posteritas quæ sera canet, quæ semper in ore
Seruet, & horrisoni celebret te Martis alumnum.

Illustrisimæ atque Excellentisimæ D. tuæ.

Addictissimus.

Federicus Cerutus Veronensis.

